



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

357. Dominica 3. Adventûs. De plenitudine Spiritûs Domini in Anima
Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CCLVIB

Dominica 3. Adventus.

De plenitudine Spiritus Domini in
anima Christi.

Aspiciam D. I. I. S. V. animam plenam Spiritu Sancto, quia quod verà ratione melius occurrit, id credendum est, fecisse Deum, præsertim filio suo D. Iesu. August l. 3. de lib. arbit. c. 5. Peccam agnoscere divitias Spiritus Dei in eo.

Conf. 1. Cum anima Christi fuerit plena Spiritu Dei, plena quoque fuit dotibus eius, quas refert Sapient. 7. Spiritus Domini est *certus*, quia præsto adest invocatus; *amans bonum*, quia bonus est; *benefaciens*, quia bonum est communicativum sui; *bonus* per essentiam suam: *Qui capit omnes Spiritus*; *certus*, quia est *veritas*; *dilucidus* quia lux est increata; *dans vitam*, quia vita est; *dans intelligentiam*, quia est verbum mentis; *dans omnibus affluenter*, nec *improperans*, *disertus*, quia quos replet, Sapientes facit; *humanus*, quia nos præ Angelis dilexit; *Incoinquinatus*, sicut lumē sordes non contrahit, *intelligibilis*, intelligere faciens.

Conf. 2. Reliquas dotes Spiritus DEI, quod sit *mobilis*, nescit tarda molimina & Spiritua-
lis est. *Multiplex*, quia multa habet; *Mundus*, quia purior Sole *Quem nihil vetat* quia omni-
potens. *Omnia capiens*, quia per omnes spiritus

640 *Dominica 3. Adventus,*

tus penetrat, omnia prospiciens, considerans, omnem habens virtutem, quia Dominus virtutum est. *Sanctus*, quia est origo omnis recti. *Securus* quia sine solitudine. *Stabilis*, quia facit in proposito firmos. *Suavis*, cujus etiam jugum suave est. *Subtilis*, quia Spiritus est. *Vnicus*, quia nihil aliud est quam quod habet. Gratulabor D. Iesu has divitias Spiritus S.

Conf. 3. Eundem Spiritum per S. Petrum Damianum me exhortantem: Sermon 21. *Querat ergo anima hunc Spiritum quo vegetante vivat, quo illustrante videat, quo docente sapiat, quo duce inoffenso amoris cursu ad patriam tendat.* Disquiram, utrum non in me qualitates sint prorsus contrariae? Et cum SS. Eucharistia sit *Cibus Sapientia*, ut ait D. Cyprianus juxta illud ad Cæcil: *Qui est insipiens, declinet ad me.* Petam in communione de redundantia qualitatum Spiritus S. fieri particeps, humiliando me cum S. Ioanne Bapt: dicente: *Non sum dignus, ut solvam ejus corrigiæ calceamenti.* Quantò minus, ut sumam Te!

MEDITATIO CCCLVIII.

Feria 2. Domin. 3. Adventus.

De Sanctitate anime D. IESU.

Aspiciam D. IESU animam à Patre æterno canonizatam, ei que propinquissimam, quia de se ipse dicit: Ioan. 10. *Quem Pater sanctificavit.* Petam ejus fieri particeps, *Conf.*